



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Machvmetis Saracenorum Principis, Eivsqve Svccessorum
Vitae, Ac Doctrina, Ipséque Alcoran**

Bibliander, Theodor

[Basel], [1543]

VD16 VD16 K 2583

Quomodo de fœcunditate intellectualis ad fœcunditatem diuinę naturę
eleuamur. 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98259)

ET ut per sensibilia in foecunditatem intellectus, & de illa in diuinam te eleues foecunditatem: attende, dum uides tot pulchras & varias structuras ciuitatum, templorum, castrorum, & ædificiorum, tot uarios pannos, tot picturas & ornatus, tot linguas, tot scientias & artes, atq; libros, tot dulcissimas harmonias, tot delectabiles dictiones, tot ordinatas politias, & alia innumera esse opus simplicis atq; * rini intellectus, inuisibilis & nullo sensu perceptibilis, à quo hæc omnia exiuerunt, & non exiuisent, nisi in eo intellectualiter multo altiori gradu præexisterent: & mirabilem ualde uides intellectum, tunc ascende ab intellectu ad creatorem ipsius, & omnium, ut uideas eius diuinam foecunditatem, quomodo intelligentie, coeli, stellæ, sol, luna, elementa, et omnia quæ sunt, uiuunt, & intel-
Dei creatoris simplicitas. ligunt, sunt opus simplicissimi atq; foecundissimi creatoris: & quod creatio, est ostensio eorum quæ semper & æternaliter in mente ipsius fuerunt ipse, & in arte seu sapientia semper & æternaliter fuerunt idem ipse, & in bene placito uoluntatis suæ æternaliter fuerunt idem ipse deus benedictus. qui diuitias gloriæ suæ ex mera bonitate sua ostendit, sicut diues intellectus ad ostensionem gloriæ suæ se in operibus suis ostendit & communicat, & ea quæ intra se habet intellectualiter, quanto præcisius potest, sensibiliter nititur explicare, ut sic iuxta naturam boni se diffundat, & participabilem faciat. & uidebis deum simplicissimū, ineffabiliter diuitem & pulchrum, atq; plenum omni foelicitate uitæ gloriose. de cuius diuitiis, ipse tot lucidas intelligentias formis plenas, tot splendidas stellas, tot uiua animalia, tot dulcissimos odores, & sapores, atq; pulcherrimos flores, & cætera innumerabilia produxit & ostendit.

MANDVCTIO EX IIS QVAE IN MVNDO

sunt, ut uideatur Deus trinus.

CAP. V.

ET quia Mahumet in eo quod deum credit creatorem omnium, etiam de illo asserit necessario quæ de eius trinitate Christiani confitentur: ideo ut ad diuinam foecunditatem partum, & amorem omnis Arabs possit quantum sufficit fidei, pertingere: iterum dicimus, mundum istum sine foecunditate, prole, & amore non posse perseverare & subsistere, certissimum esse. Nam his sub-
Mundum sine foecunditate, prole, & amore non subsistat. latis, mundum deficere oportet, & foecunditate, partu, & amore unus est mundus: unius igitur mundi sunt foecunditas, partus, & amor. Nec foecunditas, & amor est alius mundus, & partus alius, & amor alius: sed sunt unus & idem mundus. & sic hæc sunt unius mundi, ut nihil mundi sit sine illis. Participatur enim foecunditas mundi, & partus, & amor, in angelis angelice, in hominibus humane, in brutis brutaliter, in uegetatiuis uegetaliter, in mineris mineraliter, in coelis coelice, in sole solariter, in luna lunariter, in stellis stellariter, in entibus entice, in elementis elementariter, in uiuis uitaliter, in intellectualibus intellectualiter, & ita de singulis suo modo. Et unde habet
Mundus unus & trinus. mundus illa ut sit necessariò ita trinus, sicut unus, nisi à creatore? Si igitur sine hac trinitate mundus naturam non haberet, nec naturalem perfectionem, nec benedictionem à Deo consideret, quæ in unitate essentiae sic triniter lucet, quomodo dicemus creatorem, ista perfectione naturali carere, quam omnibus tribuit, ut sint meliori modo quo esse possunt? Sicut igitur creatum est, unitarium: ita & creator, cum creatum à se nihil sit, & omne id quod est in hoc subsistat